


1552y.

Spee, Libert, et Gabriel de Bruyn.

44/65198

De actionibus quae praecipue ex negotio  
alieno et filii servitute in alium quam  
qui contraxit, et patrem dominumque  
dari solent.



LIBRARY OF THE  
FRIEDRICH-SCHLEGEL-ANSTALT  
BERLIN



380144/65798(0)

62  
10  
524  
DISPVATIO LEGALIS.

DE ACTIONI-  
BVS QVAE PRAE-  
CIPVE EX NEGOCIO ALIE-  
NO ET FILII SERVIQVE IN ALIVM  
QVAM QVI CONTRAXIT ET  
patrem dominumque dari  
solent.

Quam D. O. M. A.

Præsibus Clariss. & Consultiss. viris D. ST-  
BERTO SPEER Dictatore, & D. GABRIELE  
de BRVYN Fisco, SS. LL. Licent. in publico  
Celeberrimæ Colonienfis Academiae Iu-  
ris Collegio, defendendam  
suscepit.

IOANNES WERNERVS Schöff.

Anno reparatae salutis CIO. ID. CIX. 19. die Martij.



Bb

COLONIAE AGRIPPINAE.  
Excudebat Gerardus Greuenbruch.

# CONTINUATIO



Iste actionibus quibusdam descendentes ex obligatione contractus proprii, interijciunt hic ICI tractatum de actionibus quae oriuntur ex obligatione contractus alieni, ita tamen, ut tractatum de prioribus actionibus postmodum resumant.

Ita continuat gloss. Cuiac. in parat. ff. de Exercit. Sich. ad rub. C. b.

## THESIS PRIMA.

**E**X contractu a) alterius b) Praeter contra subilitatem iuris civilis c) aequitate motus d) actiones 6. introduxit: Exercitoriam, Institoriam, Quod iussu, Tributariam, De peculio, & De in rem verso e) De quibus singulus, & quidem de tribus prioribus, eo quod. proxime ad. actiones ex proprijs contractibus descendentes accedant f) prius videbimus.

a) secus in delictis. Nam vultus quisque ex suo admissio sorti subijciatur, nec alieni criminis successor constituitur l. crimen 26. ff. de poenis, l. sancimus 22. C. eod. Ex delictis tamen naturarum in nauis commissis teneatur exercitor, l. debet in princ. Naut. caup. stab. arg. l. si quis absentis 5. §. fin. ff. de O. & A. l. fin. §. hac autem actione. Naut. Caup. Stab. & quidem induplum per d. l. fin. §. hac actio. Nec id sine aequitate impuet enim sibi quod opera malorum hominum usus sit b) Non cuiusvis, sed eius tantum qui nobis vel iure potestatis vel ministerij deuinctus est Vult. 2. Iurispr. Rom. cap. 14. c) eo. namque iure quaecumque gerimus, ex nostra persona obligationis initium capiunt l. quaecumque 11. ff. de O. & A. d) quod scilicet contrahens, non tam eius cum quo. contraxit, quam eius qui preposuit fidem secutus videatur, quod ita in specie de Exercitoria affirmatur in §. eadem inst. quod cum eo & c. l. i. in princip. & §. penul. l. 5. §. 1. ff. de exerc. De institoria in d. §. eadem l. 8. ff. de inst. De actione quod iussu. §. 1. inst. quod cum eo & c. De Tributoria in §. introduxit quod eum eo & c. De actione de peculio in §. in personam & §. actiones inst. de act. Et denique de in rem verso in l. 1. §. 1. ff. de in rem vers. e) quae non sunt peculiare actiones, & a proprijs actionibus distinctae, sed eadem omnino ex iisdem contractibus descendentes. Haec tamen est inter illas differentia, quod eae quae in contrahentem dantur civiles sunt, & sine ullius adiectionis mentione nomen habeant: quae vero ex contractu aliorum dantur, adiectione aliqua notentur. Et hoc est: quod ait Paul in l. si eum §. item §. ff. de exerc. his edictis Praetorum non transferri actiones, sed adijci, ita teneri patrem dominumque, ut tamen ideo actio immediate in contrahentem competens, non omnino transferatur ab ipso contrahente in patrem dominumque, sed praeter eam adijci actionem in patrem vel dominum ut ita non vnam, sed duplicem habeat actionem arg. l. si quis 4. ff. de pecul. arg. l. 1. §. 1. ff. quod iussu. l. 1. ff. de in rem vers. §. 1. inst. quod cum eo & c. Dissent. Oldend. claus. 4. act. 4. per l. si eum §. ita si seruus. Sed queres quid haec actiones operentur? Respondeo Inducant causam, cur ex alienis contractibus rem conueniatur, & breuiter causa nomen contractus non exprimitur, cum is ex narratione & conclusione libelli colligatur. Schneid. in d. tit. inst. n. 6. f) dantur enim quasi ex proprio contractu v. g. mandato. §. ult. inst. quod cum eo & c.

Exercitoria a) igitur est actio Prætoria b) personalis c) perpetua d) qua ex contractu magistri e) nauis f) datur in exercitorem g) ad consequendum id quod ex contractu magistri debetur.

a) ab exercitore sic dicta. Est autem exercitor ad quem omne commodum nauis redit, siue is dominus n. uis sit, siue à domino per auersionem, hoc est: non ad numerum certarum amphorarum, sed integram nauem & in vniuersum suo periculo vel ad tempus vel perpetuo conduxerit, l. vlt. in fin. ff. ad l. Rhod. de iact. l. opus 36. ff. locat. l. si quis 4. §. si auersione ff. de peric. & comm. Wefemb. in parat. h. nu. 5. Quid sit per auersionem conducere aliter explicat Alciat. l. 6. parerg. cap. 28. b) à Prætoribus ob nauigantium utilitatem introducta: Vnde & honoraria dicitur l. 1. §. quamquam 23. ff. h. t. c) d. l. l. actionum ff. de O. & A. d) hereditibus enim & in heredes datur, l. 4. §. vl. ff. eod. e) magistrum eum dicimus, cui totius nauis gubernatio vel ab exercitore, vel à primo magistro mandata est, d. l. l. §. magistrum & §. 5. Potest enim hic alium magistrum substituere etiam dissentiente exercitore & ignorantie, idque ob nauigantium utilitatem, Vlp. in l. 1. §. exercitorem §. magistrum cum seq. h. Nihilque interest cuius sexus, status vel conditionis magister sit l. 1. §. cuius 4. ff. h. f. siue ea marina sit, siue fluitatilis, siue in stagno nauiget, siue schedia siue Syndria sit d. l. l. g) sed quid si plures nauem exercent, cum quolibet eorum in solidum agi poterit, ne in plures aduersarios distringatur, qui cum vno contraxit d. l. l. §. fin. cum l. seq. Et procedit etiam si inæquales portiones in nauem habeant is tamen qui vitra præstiterit, ab alijs id societatis iudicio consequatur Oldend. d. loc. Fallit si plures per se exercent tunc enim proportionè quilibet conuenitur, d. l. 4. in prin. h. Vide Costalium ad §. fin. & l. 2. hic. Exurgit hic non inuutilis questio: An filij vel serui exercentes nauem hac, actione conueniri possint? Negamus cum Oldend. d. loc. Hoc tamen casu intentabitur actio vel ciuilibis in magistrum, vel Prætoria in patrem dominumve & quidem in solidum, si cum voluntate eorum filius vel seruus exercent, sin minus in totum quantū in speculo est, d. l. l. §. si is qui & seqq.

## III.

Perro contrahentibus electio datur, an actionem Prætoriam a) contra exercitorem ex contractu magistri, secundum formam præpositionis b) an ciuilem contra magistrum nauis intentare velint c) E contra exercenti nauem aduersus eos, qui cum magistro contraxerunt, Prætor actionem non tribuit. d)

a) d. l. l. §. est autem 17. gloss. ibid. in verb. exercitorem. b) quæ diligenter est obseruanda nisi sit captio l. 11. §. 5. ff. de instit. Cost. in l. 1. §. quid tamen per §. 12. d. l. l. Præpositio siquidem certam dat contrahentibus legem d. l. l. §. igitur & §. si plures sint arg. l. diligenter ff. mandat. l. qui Romæ §. Callimachus ff. de V. O. Vnde si contraxerit cum eo, cum quo contrahere est prohibitum, aut extra formam præpositionis, ut si præpositus venditioni tantum, mutuum acceperit, dominus aduersus agentes exceptionem habet l. si quis mancipijs 17. §. fin. ff. de instit. cum concord. Practica hic occurrit questio: An eo casu pecuniarum mutuo datam ad refectionem nauis, creditor ab exercitore efficaciter repetere possit? Nego, nisi probet creditor idoneo loco & tempore & non extra necessitatem petenti magistro credidisse

credidisse d. l. fin. vbi Bart. & alij Dd. Cuiac, tract. ad Afric. 8. in l. vlt. h. r. In rem autē versum esse creditor probare non tenetur, nisi vltro velit. Rationem reddit Afr. in l. fin. hic. quia non oportet creditorem adstringi ad hoc vt ipse rescindenda manus curam suscipiat & negocium domini gerat, quod certe fieret si necesse habeat probare, in rescissione manus pecuniam erogatam esse. Fallit tamen in pecunia mutua. In Minoreuni, Ecclesie, Ciuitati, hanc enim in rem versam probare tenetur, per auth. hoc ius porrectum C. de SS. Eccles. Bart. & Costal. in l. 7. ff. si certum petat. Dissent. Cyn. in d. Auth. Duaren. c. 2. Sed an prepositio sufficienter probetur per scientiam & patientiam auctoris Affirmo cum Bart. consil. 79. incip. quidam vendidit infistori carnificis. Iason in l. creditor §. infistorum ff. si certum pet. Dissent. quidam quos refert. Ias. d. loc. c) Si tamen suum ab altero consecutus fuerit ab altero iure nihil petet d. l. a. §. penult. quia solutione eius quod debetur tollitur omnis obligatio in princ. infst. Quib. mod. toll. oblig. d) l. i. §. est autem nobis h. r. ratio, quia non indiget eodem auxilio, sed aut ex locato cum magistro si pro mercede operam preestet, aut si gratuito mandati agere potest l. si cum in princip. ff. cod.

#### IV.

*Infistoria a) exercitoria maxime similis b) datur ex contractu Infistoris c) in eum d) qui preposuit e) in solidum eius quod ex contractu debetur. Quamplurique DD. in directam & vtilem diuidunt. f)*

a) *Dicitur non ab eo in quem datur vt exercitoria, sed à causa h. e. infstioe. Est autem proprie qui alicui negociationi prepositus est, & quidem non omni sed ei tantum que rerum permutatione constat, vbi vnus dat & vicissim accipit, vt sit in emptione, venditione, & ceteris contractibus similibus per exempla l. cuiuscumque ff. h. r. Dissent. Myof. & Schneid. in §. Infistoria Inst. quod cum eo & c. Illum tamen qui preposuit negociationi in qua vnus tantum obligatur & questum facit, v. g. si preponatur aliquis ad mutuum accipiendum ad similitudinem Infistorie teneri non negamus l. penult. in princ. ff. de infst. l. pen. C. cod. b) competit enim ex eadem causa & eadem conditione qua exercitoria. Nempe si cum Infstioe contractum sit eius rei gratia cui prepositus est. §. eodem Inst. Quod cum eo & c. l. 2. & 3. hic. vtraque etiam datur in solidum d. l. 2. & d. §. eodem. Vtraque refertur ad omnes contractus tot. tit. ff. & C. de exercit. & Infst. Vtraque perpetua l. nouissime hic. Datur siquidem hęc etiam in heredem, licet pupillus vel furiosus sit propter vilitatem promiss. ut vsus, nec obijci poterit contrahenti quod si iuri dominum decepsisse l. 17. §. 2. & 3. h. Dissent. Ant. Fab. 2. coniect. 1. Dissentunt tamen in quibusdam vt in l. 1. in princip. & §. penult. ff. de exercit. videre est c) Nec refert an masculus sit infstio vel femina, liber, an seruus, proprius vel alienus l. sed et si quis S. l. & §. vlt. h. imputare enim sibi debet, qui talem preposuerit. Clericos tamen hinc excipimus c. negociatorem 9. dist. 88. c. glenci & c. canonum 14 q. 4. Non inopia hic se ingerit questio: Num etiam Comites, Nobiles, & similes infstiores esse possint? Cum Mypling. cent. 6. obl. 54. verius putamus citra honoris & dignitatis dispendium non posse. l. nobiliores C. de commer. & merc. l. ne quis C. de dignit. l. per humilem C. de incestis nup. Nisi forte contraria sit regionis consuetudo Mypling. d. loc. d) etiam pupillus si cum tutoris auctoritate preposuerit l. verum 9. ff. cod. si absque tutoris auctoritate solum in quantum locupletior factus conuenietur l. eatenus 10. hic cum concord. si plures preposuerint quilibet eorum in solidum conueniri poterit l. habebat. §. vlt. ff. h. r. Exurgit hic magna inter DD.*

concertatio. Num Infitores, quos nunc fallores vocamus finito quoque officio, ex contractu prepositionis tempore celebrato teneantur & conveniri possint? Ego cum Bart. in l. vlt. h. & l. eadem de duob. reis. teneantur, cuius etiam sententiam Parisiensis Curia in iudicando secuta est. Costal. in d. l. 1. §. est autem ff. de exerc. & in l. fin. h. Dissent. idem in l. §. de procurat. Duar. h. t. cap. 4. vers. sed difficilis questio est, per l. procurator qui 67. de procur. l. servum Titius 49 ff. mand. Conciliat. Treutl. part. 1. disp. 24. thes. 7. e) Prepositio autem fiet vel per mandatum expressa prepositione Bart. & DD. in l. 3. ff. hic. Vel per literas credentie Bart. in l. Lucius 24. ff. h. t. vel per ratificatione l. sed et si 7. ff. cod. l. ei qui seruo C. quod cum eo & c. f) Quando autem directa, & quando utilis de iur. ex dictis ad lit. A. huius thes. perspicue intelligi potest.

V.

**Actio QVOD Iussu** a) datur contra alienibus cum filios. vel seruo adversus patrem dominumque in solidum b) eius quod ex contractu debetur.

a) ab initialibus edisti verbis, quo concepta est sic dicta, ut suppleatur Paris vel domini factum esse dicitur. Iussum autem hic cum Ulpiano accipimus siue testato quis, siue per epistolam, siue verbis siue per nuncium siue generaliter siue specialiter iusserit. Dissent. quidam per l. vlt. C. quod cum eo & c. Sed an ex solo sigillo iussum colligemus? De quo non dubitamus, cum indicet sigillanti enratum habuisse, per vulgatum l. semper qui non prohibet ff. de R. I. Glos. & DD. in l. si pecuniam §. de neg. gest. Differt autem iussum à mandato, quod mandamus his qui extra potestatem nostram sunt & liberam habent voluntatem exequendi, jubemus vero his qui in nostra potestate sunt, & necessario iussum exequi debent, per l. 19 §. 2. ff. de neg. gest. Ex hac distinctione commodè illa questio: an actio mandati cum hac actione quod iussu concurrere possit, in negantem partem dissolvitur, persone enim diversa sunt, quibus mandamus & quibus jubemus. b) quatenus scilicet iussum l. 2. ff. h. idque optimo iure, quia quodammodo contrahitur cum illo qui jubet l. 1. in prin. ff. h.

VI:

**Tributoria** a) actio datur ex contractu serui b) vel filij, adversus patrem vel dominum de merce peculiari c) in qua servus vel filius, sciente & patiente d) negociatus est, si dolo malo e) distributionem f) iniquam g) fecerint, ut ad aquam tributionem revocetur, praesteturque sine deductione h) id quod minus tribuerint.

a) alias distributoria à suo fine sic dicta. b) vel vere vel presumptivè. Unde etiam ex contractu fructuarij vel bona fide possessi dabitur hæc actio l. 1. §. potestatis ff. de tribut. Godof. c) hoc est: separata à rationibus dominicis vel paternis seruo vel filio. concessa, in qua ita proprio nomine negociantur, ut questus ad eos redeat d. l. 1. §. peculiarem 2. Si enim merx esset patris vel domini, Infortoria potius actio competit, ut ex præced. thes. 4. liquet Quid si plures merces separatim servum haberit, an creditores confundentur? Distinguendum, aut habuit in vna taberna aut diversis: Priori casu creditores confunduntur, per l. 5. §. plane 17. ff. h. Posteriori vero quilibet separatim in tributum eius mercis vocabitur in quam credidit. l. procuratoris §. si plures 15. & seq. Costal. & Godofred. ibid. d) Per hoc distinguitur ab actione de peculio, quæ competit si ignorante vel sciente quidem, sed nolente patre dominoque in merce peculiari versatus sit. l. 1. ff. de pecul. c) l. 3. §. p. cault.

penult. l. quia non 8 l. vlt. ff. eod. adeo vt etiam pupillus & furiosus ex dolo tutoris vel curatoris teneantur, d. l. 3 §. penult. ibid. Costal. Bart. in l. si dolo ff. si quis omis. caus. test. Item in l. Iulianus §. sed cum in facto ff. de act. empt. per l. 3. ff. quand. ex fact. tur. vel curat. f) sed si diuisio nulla facta sit, an etiam ad faciendam diuisionem pater vel dominus hoc edicto compelli possit? Pro solutione triplex casus distinguendus: Aut pater vel dominus recusant diuidere, quia malunt cedere merci vel peculio & audientur l. illud 7. §. 1. ff. h. Aut sine dolo ratione molestiarum à diuisione abstinere, quo casu Prætor Arbitrum constituet qui diuisionem faciat d. l. illud 7. & Vult. ad tit. inst. quod cum eo &c. §. introduxit. huius diuisioni standū siue æqua siue iniqua sit tenet. Aut dolo malo factū est quod minus tribetur, vt: si dominus vel pater mercem perire passus sit, aut auerterit, aut vilioris data opera distraxerit, vel si ab emptoribus pretium non exegerit, quo casu hoc edicto teneri respond. Vlp. in l. 7 §. 2. 3. & 4. maius enim est, prorsus non facere, quam rite non facere d. l. illud 7. Dissent. Vult. in §. introduxit, inst. quod cum eo &c. Treutl. vol. 1. d. sp. 24. thes. 3. g) vni plus alteri minus tribuendo. Nullum autem creditorum alteri præferri volumus, adeo vt nec is, ex cuius prædita pecunia, res emptæ est, in illa re alijs præferatur d. l. 5. §. plane & ibi DD. Excipimus hinc creditores peculiare merces habentes oppignoratas, hi enim à contributione immunes sunt, & omnibus creditoribus iure pignoris præferuntur vt in l. procuratoris. §. sed est quæritum §. plane ff. h. Hinc quotidianum promanant dubium, si merces adhuc integre existent, ane præferatur in ijs cæteris is qui vendidit? Negantium opinio iuri magis consentanea, quam sequitur Bart. in l. si cum dotem §. fin. n. 10. ff. solut. matrim. prob. per d. l. procuratoris. §. plane vtr. sed etsi dedi l. quidam fundum ff. de in rem vtr. Fallit tamen si venditor fidem de precio non habuerit, quia tunc res vendita etiam tradita non transit in emptorem l. in ciuile C. de R. V. l. quod vendidi ff. de contrah. empt. l. 5. §. sed etsi 16. h. §. vendita 41. inst. de rer. diuis. Plures limitationes videre licet apud Geil. 2. obs. 12. & 15. Doctæ etiam & breuiter Costal. in l. procuratoris. ad §. plane. h) quia pater & dominus loco extranei habentur. l. 1. h. Et hoc rursus differt ab actione de peculio, in quo priuilegium deductionis pater & dominus habent vt inf. dicitur. Illud etiam huic actioni speciale, quod non detur in solidum, sed quantum rationibus mercis peculiaris subductis, cuique creditori proportionè rata debitum fuerit d. l. 5. §. vlt. h. Anne ergo necessarium omnes creditores simul in iudicium venire? Negamus: Vnus enim agere volens admittitur, nec ideo occupantis conditionem meliorem facit, vt in actione de peculio, sed æqualem quodcumque etiam agentium l. non enim 8. h. Vnde is cui integra portio soluitur, cauere debet, vt si plures creditores forte compareant, vel aliud domini occultum aut conditionale debitum eueniens conditione post ea emergat, se prorata resusurum. d. l. procuratoris §. fin. d. §. fin. d. l. illud 7 in princ. h.

## V II.

**Actio De Peculio** a) est Prætoriana personalis b) perpetua c) aduersus patrem dominum que filio vel seruo peculium concedentem d) vt pro filio vel seruo nobis ex contractu e) obligato, quatenus in peculio est, f) soluat.

a) Dicitur Peculium vt ex Varr. de re rust. refert Treutl. disp. 24. th. 10. à pufillo pecore, cuius in suis pascuis pascendi potest ad domini seruis concedebant. Hæc tamen hodie impropria est huius vocis significatio test. Myasing. in §. actiones l. de A. quippe cum abolita omnino sit dura illa gentiliū seruitus, antiquitatis tamen cognoscende gratia huius meminimus. Ad filios ergo hoc edictum referimus, quorum quadruplex peculium DD. constituunt. Castrense quod filij in castris quæserunt, aut euntibus



*causibus in militiam ab amicis donatum fuit tot, tit. ff. & C. de Cast. pecul. quasi castrense, quod filios. queritur ex aliqua gestione aut officio, vt ex professione alicuius artis, beneficijs Ecclesiasticis &c. l. forti de aduoc. diuers. l. velut C. de assens. In quibus duobus filios. pro patref. habetur, l. 2. ff. ad SCum Maced. Aduenturum quod aliunde filio aduenit, vt ex bonis maternis aut saltem non ex substantia patris in quo solus vsusfructus patri seruatur, l. 1. C. de bon. mater. Profecturium, quod profectum est ex substantia patris. l. cum oportet C. de bon. quaer. lib. ibid. gloss. vel alterius respectu tamen patris l. sed si plures. §. in arrogato de vulg. & pup. & hoc tam quoad proprietatem quam vsusfructum patris est, l. pater ff. de acq. haered. l. quodcumque ff. de V. O. Mynsing. d. loc. n. 4. de quo hanc actionem Praetor in patrem tribuit. Contendunt hic DD. an etiam hoc editum in aduenturum locum habeat? Quod suo modo cum Donell. in §. actiones Insti. de A. concedimus Diss. Mynf. ibid. n. 24. & Schneid. n. 14. vide Costal. l. 3. ff. h. b) quia datur in personam ex contractu vel quasi d. §. actiones l. summa in fin. ff. h. c) Intellige quamdiu filius aut seruus in potestate est, post mortem vero eius aut postquam emancipatus, manumissus, aut alienatus fuerit temporaria h. e. annalis esse incipit, l. 1. §. 1. ff. quand. act. pecul. ann. Annus autem utilis computatur, & ideo si condicionalis sit obligatio, non ex eo computabitur annus, ex quo filius emancipatus est, sed ex quo peti potuit conditioe existente d. l. 1. §. annus. d) etiam initium & ignoram em l. si quis seruum ff. h. Mynf. d. loc. n. 10. e) vel quasi l. si pupilli. §. sed si ego 6. de neg. gest. non ex delicto, nisi in quantum locupletatum peculium l. licet §. ex furtiua h. quin etsi ex furto suo conuentus fuerit filius & damnatus, iudicatu tenetur pater. de pecul. d. l. licet. §. idem scribit, quibusdam casibus ob crimen filiorum parentes ad poenam non quidem corporalem, sed pecuniariam teneri certum est, de quibus consulendus Couar. lib. 2. var. cap. 8. f) quod adijcitur ad differentiam actionu Executoriae, Institoriae, Tributoriae, quod iussu, & De in rem verso que in solidu dantur vt sup. dist. Porro quatenus in peculio sit, tempus rei iudicate spectatur, etiamsi cum intenditur actio, parum aut nihil in eo fuerit, l. quaesitum in prin. & ibi Costal. Mynf. d. §. actiones n. 27. Nec obs. l. in rem. §. vlt. ff. de pign. act. rationem huius vide apud Cost. d. loc. Nec hic cautionibus opus de futuro incremento peculij, hoc enim in actione pro socio locum habet, quia socius vniersum debet l. quoties 47. §. si semel 2. ff. eod. At pater non debet vniersum, vt filius d. l. 44. h. sed tantum peculio tenus, d. l. si quis deducto tamen eo, quod sibi vel illis qui sunt in potestate, tutela, curauit eius debetur, l. sed si 9 §. 2 & seq. l. 4. §. 4. hic. §. praeterea in fi. Inst. Quod cum eo &c. l. 10. & 19. & passim tot. h. ita vt nullu prius legum patri vel domino preponi possit, l. exteste 52. ibid. Costal. hic. Num & quod vicario Vide §. cum autem ibique gloss. l. hic. Quid autem si filius, non contraxit vel quasi contraxit, nec deliquit, sed electus est ad aliquod munus vel autoritate vel iurisdictione publicum, aut saltem autoritate publicum & iurisdictione priuatum nup. pater possit conueniri in solidum? Et posse sub distinctionis fcedere tuebore, cum Azop. in summ. C. h. n. 19. Casus diuersi extant in l. quotiens ad municipal. & in d. l. licet. §. vlt. Vide l. 1. §. vlt. de mag. conuen. & l. Luc. de admin. tut.*

VIII.

*Actione de in rem verso à patre vel domino consequimur id quod in rem eorum à filijs vel seruis ex negotio cum ipsis gesto versum est.*

*In rem autem patris vel domini versum intelligimus quodcumque necessario aut vtiliter in rem eorum fuerit d. §. praeterea, exempla passim h. t. obuia & in l. 3. §. 1. & seqq. l. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 16. 17. & ll. seqq. Sed quaeres si voluprius aut magnificentiis causa nummi in rem patris vel domini versi fuerint, an in rem eorum versi dicentur*

dicentur

FRIBS UNIVERSITÄT  
BERLIN  
UNIVERSITÄTSBIBLIOTHEK

dicentur, ut hæc actio competat? Non dubitamus si consentiente patre vel domino id factum sit l. 3 §. sed si matua 4. & §. nec non 6 ff. h. r. Sic empti in res viles etsi postea sine culpa perierint priusquam in domini utilitatem revertentur videntur in rem domini versa d. l. 3. §. unde & seqq. l. servus 16, h. l. an. 10. in fin. de neg. gest. Et regulariter toties de in rem verso actio competit, quoties procurator mandati & qui negotia gessit, negotiorum gestorum habet actionem d. l. 3. §. regulariter, & ibi DD. Pro coronide huius thes. queri potest: cum is cui Exercitoria, Institoria, Tributoria competis, etiam de peculio & de in rem verso agere possit. §. cæterum Inst. quod cum eo &c. an in vna succumbenti liceat ad aliam recurrere? Et verius putamus non licere, nisi iusto errore circumventus, minus rectam & vilem elegerit, l. 9. §. eligere vbi Bart. Castrenf. Costal. de tribut. act. arg. l. 4. §. vlt. ff. quod cum eo &c. l. habebat de iustito. l. 22. de execut. rei jud.

IX.

Porro licet regulariter filius. ex omni contractu vel quasi civili, pater Prætoria actione teneatur, iusta tamen ex causa a) in mutuo b) tam filius. quam pater, fideiussor c) eorumq. hæredes d) exceptione perpetuæ e) S. Cti Macedoniani f) ab impetitione mutuatarij tuti sunt. Cuius beneficio filij efficaciter renunciare non posse g) ne medio quidem iuramento defendam. h)

a) ne scil. onerati ere alieno hereditatem appetant, vitæque parentum insidientur, §. penult Inst. Quod cum eo &c. b) consistente in pecunia naturali. Nam si aliæ res date sint consistit mutuum, item §. mutui. h. Pecunia enim instrumentum ad omnem luxum & nequitiam idoneum. d. l. 3. §. is autem ff. h. Nisi res aliæ in fraudem S. Cti dentur d. l. 3 §. in f. Sed cur magis prohibetur mutuo dari filios. Quam ex alijs causis cum eo contrahi? Ratio ex hoc lit. patet, quia in cæteris contractibus non est periculum, ne corrumpatur filius. quoniam ex his non accipit pecuniam, sed debere incipit, ex mutuo autem pecuniam accipit, qua abutitur ad luxuriam. Don. ad hunc tit. C. n. 10. c) modo non donandi animo fideiusserit, item §. quamquæ autem l. etsi pater. §. non solum. h. d) d. l. item. §. quamquam e) durat enim nõ solum quæ diu filius. est, sed etiam cum liberatus est potestate patria. §. penult Inst. Quod cum eo &c. f) Dicitur non ut cætera S. Cti à consulibus, seu eo consule, quo verba in senatu faciente S. Ctum factum est, sed ab improbo & famosissimo reatore Macedone, qui in certo nomine Adolescentibus ad quemvis luxum pecuniam credebat, ad scripto tantum in libro rationum nomine debitoris, non expressa causa in quam mutuum datum esset, ut sic nihil amplius dici sciriue posset, quam in rem pecuniam mutuo datam l. 1. ff. & C. eod. Dissent. Theop. §. vlt. Quod cum eo &c. g) Non enim principaliter introductum est filij. causa, sed in odium creditoris. l. 1. sed si pater. §. penult h. Nemo autem potest renunciare nisi juri pro se introducto. l. pen. C. de pact. h) gloss. Bart. & Costal. in l. tamen 11. h. arg. c. vbi §. cæterum veris. & nos, c. quia sæpè 40. in fin. ext. de clec.

X.

Sunt tamen quæ huius S. Cti exceptionem impediunt ut Mendacium filij. iustus error creditoris, voluntas patris, eiusdem vitium, filij. sui iuris facti cognitio.

380/44/65198(0)

Freie Universität Berlin




5213299/188

THE UNIVERSITY OF CHICAGO  
LIBRARY

X-rite

colorchecker CLASSIC



Freie Universität Berlin

